Lane Medical Libra

DE
VITIIS ET MORBIS
O V I
ABORTUS CAUSA
DISSERTATIONE
MEDICINAM FORENSEM IMPRIMIS
SPECTANTE
PRO
OBTINENDIS SUMMIS IN MEDICINA
HONORIBUS

AGIT

MATTHIAS PESCH
AQUISGRANENSIS.

BONNAE
TYPIS BUESCHLERIANIS
1823.

VIRIS

GRAVISSIMIS EXPERIENTISSIMIS

C. G. THEODORO KORTUM

MED. DOCTORI AC MEDICO CELEBERRIMO

NEC NON

DANIELI IONAS

MED. DOCTORI MEDICO PHYSICO AC DE SALUTE PUBLICA MERITISSIMO

SACRUM.

Causarum abortus, quis Medicorum est, quin sit curiosus? atque quis est, quin sibi facile persuadeat, *forensis* imprimis *medici* esse, eas nosse inque eas inquirere, eundem toties cum dirimere oporteat, an, quam suspicatur *forum* medicinam abortivam propinatam, in eius causis habenda sit, nec ne?

Quae licet ita sint, medicnsque forensis licet ad dirimendam litem vix graviora adferre possit argumenta, nisi quae eruantur ex ipsius ovi statu ac conditione, nihilominus medicinae forensis compendia sicco praeteriere pede abortus causas vel in ovi structura vitiosa, vel in oeconomia eius laesa, conspicuas: quod sane est, quod admodum mireris!

Nos vero, qui haud admodum sinus proni ad accusandum medicinae forensis cultorem, quam potius ad exculpandum eundem, confugiamus imprimis, haec rei nostrae, quantum visa est, incuria ut explicaretur, ad disiunctam invicem *medicinae artisque obstetriciae* praxin:

ita, profecto! res sese habet, ut fugerit medicum, praxin artis obstetriciae haud exercentem, occasio inspiciendorum ovulorum eorumque indolis perscrutandae!

Quam quidem, fateor, auctores quidam artis obstetriciae huic rei navarint operam, medicum forensem haud fugere debuisset, iidem cum auctores, quae in istam rem contulerint, scriptis suis promulgare haud neglexerint.

Est-ne enim ita, ut *Steinius* sen. in opere suo *observationum* *) vitia ovi, ex quibus abortus causa toties derivanda, amplecti exemplisque probare studuerit?

Quid, quod! *Monographiam* adeo huc spectantem iam olim exhibuerat *Burdachius* quidam eamque inscripserat *de laesionibus ovi abortus causa!*

Quaecunque vero sint, quae vel medicorum forensium huius rei incuriam, vel obstetricatorum in ea positam operam probent, iam non est, quod respiciamus, nisi ipsam variam ovulorum conditionem, unde fini medicinae succurratur. Qua de causa primum *Burdachii* dissertatio, quae *Steinii* observationibus praeiit, inspiciatur, exque ea extricetur, quae iam tunc

*) Edidit scholae nostrae obstetr. moderator Marburgi anno 1807.

temporis innotuerint de singulari specie causarum abortus ex ovi vitiis dirivanda; posthaec pertractetur *Steinii* Liber, ita ut inde eruamus,

tum quidquid conducat ad probandas observationes *Burdachii*,

tum quidquid boni ipsis observationibus a *Burdachio* allatis ex *Steinii* libro supervenerit.

Praeterea, quae mecum communicaverit scholae nostrae obstetriciae moderator, ad dilucitandam hanc libelli materiem tradam inque communem omnium messem vertere studebo.

Iam, cum mihi adeundum sit *Burdachii* dissertationem, non possum, quin moneam, quae forsan praefari debuissem omni libello meo; en! quaenam sint:

Burdachius noster, quantum nobismet ipsis iam persuasum sit, haud irritis rationibus nisus argumentum dissertationis suae gravissimum habuit. Attamen illo abhinc tempore, quo prodiit eius scriptum, ad hunc usque diem ne ulli quidem auctorum artis medicae placuit, ipsum vel respicere, vel eiusdem argumentum pertractare. Est-ne ergo ita, ut, quod iam dudum ab aliis fieri debuisset, minime vocare velles crampen decies coctam a me recoctam?! Profecto! miremur, tacuisse auctores per sexaginta fere annos post *Burdachium!* ad quam taciturnitatem explicandam mihi quidem prae-

sto esse videtur aliquid, quod, quo magis sim pronus ad exculpandum, eo minus reticendum est. Est-ne enim ita, ut existimemus, id ipsum, de quo inscriptus est *Burdachii* liber, nimirum *laesionum* ovi rem causamque, parum idoneum fuisse ad adducendum animum medici forensis? Ita sane est, ut, cum inde haud admodum sibi oblata existimet medicus forensis, *quae tribuantur naturae,* quam potius, quae artificiis, *simulacris*, et quae alia causis externis accensenda, omnis haec ovi vitiorum res facile neglecta sit. Quapropter idem noster libellus, ne nimis ancipiti teneatur aliquis iudicio de iis, quae amplectatur, inscriptus est, «de *vitiis* ovi abortus causa.» Quae cum ita sint atque nemo, quantum opinor, reperiatur, quin sibi facile persuadeat, *ab ovi vitiis*, *ab oeconomia eius laesa*, *ab embryone* demum *defuncto*, turbari graviditatem, partum ante terminum praeparari accierique abortum, propius accedamus ad librum illum, cuius titulum aegre ferebamus, ipsaque ergo vitiorum genera, quae vel extricare contigit auctori eius, vel quae Ipsi autumare placuit, ante omnia recitemus:

---

*) *Eisenbeis*, praeside Plouquet, de Laesionibus mechanicis simulacrisque laesionum foetui in utero contento accidentibus. Tubing. 1794.

En! multa sunt, quae nobis proponit auctor in *tertia* libri sui sectione, quaeque habentur ab eo in abortus causis. Quis ergo est, quin applaudere velit isti Nostro in ipsa libri sui fronte exclamanti:

» multo frequentius, ac vulgo putatur,
» posita est foetus mors, indeque abor-
» tus causa, in vitiis partium, quae foe-
» tum in utero circumdant atque nu-
» triunt. »

In ipsis ovi vitiis exponendis servat auctor ordinem quendam mihi saltem nunc haud negligendum. Seiungit nimirum *Burdachius* a se invicem vitia morbosque *membranarum* ovi, *liquoris amnii*, *placentae*, *funiculi umbilicalis* ac demum *foetus ipsius*.

Egomet ergo hunc ordinem servaturus iam recenseam ea

Membranarum,

quae Ipsi, *Burdachio*, sunt

primum: *vasorum chorii* fines hydatidum speciem referentes;

deinde: *membranarum* in genere *teneritas* modum excedens; nec non

demum: *crassities membranarum* nimia.

Hoc vero alterum alterumque, quod nempe membranarum et crassitiem et teneritatem ni-

miam spectat, haud ita ab auctore tractatum videtur, inde ut artis fini consulatur; hanc enim, teneritatem nempe, nullis neque exemplis neque graviditatis etc. phaenomenis probat, illi autem, crassitiei nimirum, quaenam graviditatis turbandae vis tribui possit, haud commemorat.

Ad

liquorem amnii

modo progrediens eiusque degenerationem abortus excitati accusans respicit *Burdachius* copiam huius laticis vel *niniam* admodum vel *exiguam* fereque omnimodo *deficientem;* attamen et hic loci desideratur, quae ex ovulis ipsis derivetur, probatio.

Placentae

demum conditioni eruendae sere accingens iste Noster, datur et locupletior vitiorum catalogus et satior exemplorum copia praestantiaque.

Ipse enim *Burdachius* vidit in placentulis

primum sanguinem inter uterum et placentam coadcervatum huicque adhaerentem;
deinde placentam marcidam et exsuccam;
denuo attenuatam admodum placentam;
porro placentam molem suetam excedentem;
demum placentam hydatidibus refertam;
tandem tuberculis hoc organon obsitum;

quid? quod? concrementis calculorum instar infarcitum.

Tandem ille Noster in observata de

Funiculo umbilicali

conversus eximiam huius ovi partis gravitatem in hac abortns re causaque auguratur; atque quis est, quin annuat isti auctori, secum reputanti, tot dari abortus causas, quot huius organi, imprimisque sanguinis circuitus in eo, obtrectationes? quare non absonum est, abortum derivare

primum a notabilioribus funis umbilicalis contorsionibus;

porro ab intumescentiis funis umbilicalis, praesertim cum hoc morbi genus observatur in primis graviditatis mensibus;

demum a coalitione funis umbilicalis cum ipso embryonis corpore.

De ipsius denique Foetus vitiis

quae commemorat, spectant imprimis embryonem deficientem in ovulo. Cui casuum generi probando inservit icon ovuli cuiusdam ex Walteri, Berol. collectione. Praeterea respici vult *Burdachius* tot vitia formationis, totque morbos foetus, quot innotescunt medicis atque in libris eorum veniunt nomine e. g. hydrocephali, ace-

phali etc. nec non hydropis abdominis, pemphigi, etc.

Quae vero vitia formationis, quosque morbos, cum plerumque invadere videmus foetum maturum, quid; quod; cum plerumque videmus, ab iisdem vegetationem foetus, vel saltem vitam eius, haud obtrectari, quis est, quin aliqua saltem ex parte dubitet, eadem abortus causam habere.

Iam perlustretur *Steinii* liber supra commemoratus.

Eheu! inter hunc illumque auctorem multum discriminis intercedit! Qui praeivit hunc, *Burdachius*, ex aliorum penu depromere debebat, quae fini suo opitularentur; qui secutus est illum, *Steinius*, haud in rem nostram contulit, nisi quae sibi in praxi obvia erant; eaque curatius inspicere perscrutarique haud desiit.

Casuum a *Steinio* oblatorum numerus haud exiguus, vel saltem tantus est, quantus adhucdum nuspiam confertus ab alio quodam auctore. Quod insuper indoli singulorum casuum inest atque qui inter singulos nexus, ita ut simillima dissimillimaque se invicem excipiant aliquo modo, in communem omnium vim et gravitatem augendam multum confert.

Praeter hoc alterum alterumque, quod observationum *Steinii* gravitatem auget, monitum velim

primum: quotquot sint casuum illius collectionis, ne in ullo quidem minimam suspicionem remedii abortivi propinati esse;

deinde: saepius occurrere in istis casibus ovula ab una eademque muliere edita simillimisque sibi invicem vitiis laborantia;

demum non aetatem tantum cuiusvis ovuli, quantum fieri poterat, accuratius annotavit observator, verum etiam sollicite exhibuit, num quae fuerint, quibus graviditas premebatur, molestiae quaeque imprimis praeierint abortui vexationes.

Si qui forsan sint, qui absonum habeant, nos his observationibus eum in modum confidere, iisdem absque dubio spes est, haud de futuram esse messem longe opulentiorem ex Aequalium nostrorum atque ergo longe Recentiorum libris e. g. opere anatomico - pathologico spectatissimi *Consbruch* nec non imprimis ex *Meckelii* opere vastissimo, quod de anatome inscriptum est, quodque excedit limites librorum antecessorum suorum, ita ut et structuram anomalam complecti cuperit. Quae si forsan esset aliorum sententia, eo minus possum, quin obtester, me haud neglexisse, hos libros evolvere eosque sedulo perlegere, ne, quidquid hanc

rem spectet, nos lateat. Ego quidem haud admodum curiosus discriminis, inter libros illos quod intercedat, verum potius studiosus locupletioris, quantum fieri potest, doctrinae de abortus causa ex ovi vitiis, demum, spem me fefellisse, vidi obstupuique, non reperiri nisi hoc; nimirum: tantum abesse, ut hi recentiores libri illi antiquiori praestent, ut potius non dubium sit, multa eaque praestantiora huius eiusdem libri Aequales nostros plane latuisse ideoque, quae ex *Steinii* libro messis, eam non in medicinae forensis tantum, verum etiam in anatomes et physiologiae commodum vertere nostrum esse.

Qui ut impetretur finis indeque ergo satisfiat alteri alterique artis nostrae desiderio, non nisi hoc modo tractanda videbatur res nostra, ut nimirum haud supersedeam applicandis Physiologiae principiis ad explicandum alium aliumque ovi statum ac conditionum eiusque gravitatem probandam.

Inde ergo forma faciesque, quam sibi tribunnt, quae, *Steinii* observationes inquirentes, tractamus proponimusque; quae facies, quaeque forma, ne displiceat Lectori!

Quem servat *Steinius* observationum ordinem, respicit ovulorum aetatem, ita ergo, ut incipiat collectio aliis aliisque casibus ex eo graviditatis stadio, quod ante placentam formatam. Qui quidem ordo haud repugnat iis, quae secundum

Burdachium tractabamus; quid enim in ovulis praeexistit aliis quibuscunque partibus nisi membranae ipsae et, quem includunt, liquor amnii? Atque ab iisdem, ut servemus modum apud *Burdachium*, nobis hic altera vice auspicandum est. Quas vero membranas prae aliis ovuli partibus respicientes facile persuademur, a *Steinio* iam satisfactum esse iis, quae in *Burdachii* libro desiderata sint. Estne enim ita, ut existimemus, *Burdachium* sicco pede praeteriisse, quae *membranam* sic dictam *deciduam spectent?* Quae illinc omissa, ab iis hic in *Steinii* observationibus initium fit, ab ipsis nempe

Hunteri membranis.

Quas membranas licet omnino succedaneas ovi partes habeamus eaedemque adeo paulo post evanescant, minime tamen hac in re parvi aestimandae sunt.

Quis vero est, qui statuerit morbos harum Pseudomembranarum, nedum descripserit inque iis abortus causam latere auguratus fuerit?! Ab iis, quae *Steinius* de his membranis exhibet, iam adeo lis quaedam dirimitur, nimirum haec: veteribus earum innotuerint membranae hae ovi, nec mirum. En! quomodo dirimatur lis: ea enim, quae *Steinio* visa sunt in ovulis quibusdam praeter naturam obvia, Maiores nostri habebant potius conditionem illarum partium consuetam. Hi, Ma-

iores, carnosum describunt ovi involucrum, ille vero Noster carnosi quid, quod vidit, degenerati quid praedicat inque ipsis abortus causis habet. Ipsae a *Steinio* memoratae *deciduae membranae* degenerationes hae sunt; nimirum

primum: crassior duriorque eiusdem tegminis compages; eadem est conditio, quam modo memoravimus ad dirimendam litem illam.

Quae quidem huius membranae indoles haud absque aliis vitiis ovi occurrere videtur; simul enim vitia chorii reperiuntur nec non offenditur sanguis coagulatus vel inter deciduam et chorion vel inter chorion et amnios tunicam. Atque adeo haud plane aliena ab hac deciduae statu habeatur ipsius liquoris amnii et embryonis conditio quaedam, cui gravitatis multum inesse videtur. Vel nimis parcam enim liquoris amnii copiam et embryonem, pro graviditatis tempore, parvulum admodum, vel suetam, quantum aestimare licet, liquoris amnii copiam, ipso embryone deficiente, reperit *Steinius,* ubi abortus accusat *Hunteri* membranae crassitiem nimiam eiusque carneam fere indolem. Tot tantaque ovi vitia sibi invicem iuncta utrum unam eandemque, atque ergo communem sui, causam agnoscant, an alterum eorum alterius causa habenda sit, quis nostrûm est, quin dirimere recuset, omnis nostra de ovo doctrina

cum adhucdum admodum manca sit? ! Quaecunque vero illorum sibi invicem iunctorum vitiorum ratio ac conditio sit, non prohibemur, quominus existimemus, ipsis intercedere quandam sui causarum rationem, cum nimirum eadem vitia saepius simul occurrere vidimus; quid; quod! cum vix unquam aliquod deciduae vitium, quantum quidem mihi innotescit, observetur, quin etiam laborent aliae partes vitio aliquo. Adeoque proni simus in sententiam, ex qua, si alteri illarum partium vitio alterius vitii causa imputetur, illa e. g. *chorii vitia* a membranae *deciduae* vitiis derivanda sint. Quae enim sententia eo magis admittenda est, cum nonnisi decidua aliis quibuscunque ovi partibus praeexistat atque ergo etiam eo facilius in alias agere potuerit.

Progrediamur ad alia *deciduae* vitia atque ergo pronuncietur

secundo loco membrana decidua coagulata quodammodo, vel, si mavis, *plane deformis*, ita ut magis frusti cruento-fibrosi formam, quam illam tunicae ovulum obtegentis, referat.

Quam deciduae formationem eadem fere aliarum partium vitia, quorum modo mentio facta est, comitatam fuisse, imprimis monendum est.

Quae modo iusto crassior, durior, carnisque instar apparuit membrana decidua

demum etiam rarioris molis, vel tenuissimi panni instar, reperiri potest, ita ut vestigia eiusdem vix ac ne vix quidem obvia sint in abortu.

In singulari quodam casu, qui deficientis veluti membranae deciduae testimonio sit, simul insignis observabatur ovuli, ipsius nimirum embryonis cum liquore suo in amnio chorioque inclusi, exigua admodum moles, quam molis exiguitatem aeque ac abortum *Steinio* a tunicae deciduae defectu derivare placuit.

Ipso *Chorio*, a quo exorsus erat *Burdachius*, cum non sit quidquam deciduae propius, iam *eiusdem membranae* vitiis inhaereamus.

Est-ne vero ita, ut ille idem *Burdachius*, commemorans et crassitiem istius tunicae et nimiam teneritatem eiusdem, alterum alterumque vitium haud probaverit, imprimis vero neque illam accuratius descripserit neque, haec unde probanda explanaverit? Apud hunc Nostrum ex iis quae iuncta erant ovi vitia isti *crassitiei*, modus ortusque eiusdem vitii magis perspici potest; atque, quod spectat membranae huius *teneritatem nimiam*, omnino videre licet, quo modo evincatur, statuendam esse hoc viti genus.

Hoc alterum alterumque vitium in chorio est, quod hic arripiatur, nimirum

primum, crassities modum excedens.

Quae quidem crassities ipsis deciduae vitiis iuncta indeque, quantum videtur, pendens nititur vasculorum exteriore chorii facie promanantium suppressione atque, ut ita dicam, contensatione eorundem. Hanc vero crassitiem haud respicant illi medici, quibus ex crassitie quadam chorii partus tempestivi impedimentum dirivare placet, inde ut huius eiusdem membranae diversitatem derivent.

Deinde teneritas nimia in chorii vitiis memoranda;

cuius teneritatis omnino nonnisi chorion particeps habeamus, cuius vitii genus cum in amnio, per se tenuissimo, haud distingui posse videtur.

Hoc vitii genus, quod in chorio insigne, exstitisse in casibus quibusdam inque abortum vim exseruisse, *Steinio* statuendum videtur ex latice limpido, stillante per aliquot dies ante abortum, dilaceratisque demnm absque vi externa ovuli membranis. Id quidem et apud *Steinium* constat, haud omnis liquoris profluvium ex ipso ovi cavo originem ducere, de qua re infra fusius disserendum est.

Itaque iam ordo sisteretur in *amnios tunica*. Quam vero membranam immunem omnis degenerationis praedicat *Steinius*. Cui quidem sententiae nosmet ipsi assentiremur, nisi forsan respiciendus esset ovuli, quod terminat haec membrana; ambitus interdum exiguus admo-

dum: haud enim, quod iam supra memoravi, semper ovuli incrementum respondet graviditatis termino tunicaeque et deciduae et chorii moli sat conspicuae. *Quae inde hanc ovuli partem gravissimam spectant, neminem fugiant; atque ergo in diiudicandis ovulis respicere velis rationes, quae intercedunt vesiculam ab amnio constitutam et chorion, ita ut, ubi differat admodum inter se alterum alterumque tegmen, suspectum habeas ovuli conditionem, atque Tibi persuasum sit, huius vesiculae incrementum impeditum fuisse.*

Ab ovi involucris ad fluida, ad *amnios* nimirum *liquorem*, transeundum nobis esset — nisi forsan sint, qui, haud immemores *vesiculae*, s. d. *umbilicalis* et, quae eandem spectat, litis inter auctores, in hac parte contemplanda ordinem sisti existiment.

Omnino Aequalium nostrorum doctrina monet, rem causamque vesiculae umbilicalis iam hic loci agendam esse, haud quidem ita illa *Steinii*.

Vir hicce enim, quidquid vesiculae umbilicalis instar vidit, non nisi in amnii cavo Ipsi obvium fuit atque, quantum videtur, simillimum fuit illi visiculae, quam Cl. *Soemmeringius* (qui licet vesiculam umbilicalem non nisi inter chorion amnionque positam praedicet) in *embryonum humanorum iconum* opere depingi

iussit. Eiusmodi vesicula in amnii cavo funique umbilicali intime iuncta *Steinio «umbilicalis» vesicula* est *eademque Ipsi non est, nisi praeternaturale quidquam.*

Quae viri sententia suffulcitur hisce rationibus, nimirum

primum: quoniam non nisi ea pars *umbilicalis* vesiculae nomen obtinere posse videtur, quae ipsi *umbilicali* funi inhaeret abque eo quodammodo originem ducit;

porro: quoniam vesicula talis haud in quovis ovulo reperiri potest.

Quae cum ita sint, eo minus dubium est, in hoc nostro libello disserendum esse de *umbilicali* vesicula; — eo minus, inquam, dubium est, quo magis patet,

primum: aliam esse vesiculam umbilicalem Maiorum nostrorum, aliam Aequalium nostrorum;

porro: illam Maiorum nostrorum accensendam esse phaenominis pathologicis, hanc Aequalium nostrorum physiologicis.

Ita adeo omnis, quae hucusque obversabatur, lis de vesicula umbilicali per se, nec non illa de sede huius perticulae, facile dirimeretur, licet eandem contemplandi locus non nisi infra demum, ubi funis umbilicalis eiusque status pathologici consideratio, offerratur. Quare, si quae

sint, quae illis iam oblatis de vesicula umbilicali adderentur, haud *membranarum ovi* contemplationi, verum illi de *funiculo* iungantur; iam vero inhaereamus

Liquoris amnii

in ovulis morbosis examini.

Iste ovuli latex, cuius indolem variam, a copia eius varia si discesserit, *Burdachius* haud respicendam esse duxerat, magni habetur a *Steinio*. Atque quidem hic Noster non copiam tantum liquoris diversissimam, verum etiam *colorem* eius diversum exhibet.

Profecto! magna inest huic liquori gravitas diiudicandi status ac conditionis ovuli nec non ergo abortus causae. Quapropter lugeamus fugacitatem quantam huius laticis. Est - ne enim ita, ut facile disrumpant velamenta sub partu latexque iste fundatur ergoque non statui possit aliquid de copia eius, nedum de aliis eius conditionibus? Id quidem haud inficiandum est, in partu minus facile rumpi velamenta ovulorum ex primis graviditatis mensibus, ita ergo ut fini nostro, qui respicit imprimis ovula ex illo graviditatis stadio, inde succurratur. Quid, quod! in his ovulis praecipuae dignitatis esse videtur liquor amnii eiusque indoles. In iisdem nempe iste non solum reperitur imprimis diversae admodum

indolis, verum etiam haec diversitas eo magis influere videtur in abortum, quo minus tenerrimus foetus aegre fert oeconomiam turbatam, quin pereat ipseque inde graviditatis terminus praevertatur.

Qualiacunque vero sint, quae huius liquoris gravitatem inde probandam spectent, magis tamen nobis probetur eadem ex ipso statu et conditione eiusdem vario atque diverso.

Cui tandem penso absolvendo inhaerentes convertamur iam in ipsius colorem varium, qui nimirum est, atque quidem in iisdem ovulis tenerrimis,

primum croceus;

deinde cruentus.

Quod alterum alterumque haud fere reperies, nisi membranarum ovi vitiis iunctum.

Cui *colori*, altero alteroque modo a naturali aberranti, omnium aliorum huius ovi partis vitiorum proxime accedere videtur

opacitas sui, ita ut talem referat speciem is liquor opacus, qualem aqua mucilaginosis ipsi mistis;

quae quidem huius laticis conditio imprimis embryonis mortem sequi videtur.

Post haec

copiam liquoris amnii alia aliaque ratione modum excedentem tractemus.

Diversissima omnino reperitur huius liquoris copia; imprimis exiguam nimis eius copiam *Steinii* observationes offerunt *).

Eadem vero exiguae liquoris amnii copiae exempla, nisi ambiguae, duplicis veluti indolis apud auctorem nostrum sunt.

En! is Ipsi praesertim est liquoris amnii defectus in ovo, qui tribuatur velamentis praeposterе ruptis, ita ut ipsa velamentorum ruptura eorundem nimiam teneritatem, quae nobis iam (v. p. 18. 19.) in harum partium vitiis visa est, probet.

Stillantis ergo laticis cuiusdam, liquori amnii simillimi, phaenomenon ante abortum respiciatur a medico abque eo in rei nostrae rem causamque vertatur.

At, quantum nobis visum, haud semper in illis casibus perspicua erant velamenta dilacerata! Quid ergo impedit, quominus ponamus,

---

*) Quae in *Steinii* senioris observationibus desiderari videntur exempla nimiae liquoris amnii copiae, ita saltem in ovulis ex primis graviditatis stadiis, ea moderatoris scholae obst. *Bonnensium* observationum penus in libelli nostri finem suppeditabit.

et stillicidium illud et liquoris amnii defectum in cavo ovi explicanda esse ex secretionis eiusdem laticis aberratione, ita nimirum ut, quae ex interiore ovi superficie embryonem petere soleant, interdum ex exteriore potius facie stillent exque ipsis genitalibus stillando prodeant. Quam quidem explicationem eo magis amplectamur, quo minus nobis desint casus ex aliorum penu exhibiti, quibus non solum per tres quatuorve menses stillabat aqua ideoque hoc phaenomenon haud ex laesis ovi partibus dirivandum erat, verum etiam partus tandem, licet omnino ante terminum, nonnisi integerrimis velamentis absolutus sit *).

Qualiscunque vero fuerit liquoris amnii penuria in ovulis, quae nobis obtulit *Steinii* sen. observationum opus; qualiscunque fuerit, inquam, orta nimirum vel ex latice non retento vel ex non secreto isto in ovi cavo, ipsa tamen embryonis foetusque conditio in illis casibus talis exhibetur, qualis arridet physiologiae principia de liquoris amnii utilitate; quid, quod! qualis omnimodo probare videtur ipsum liquoris amnii per longius temporis spatium defectum. Eum nempe in mo-

*) v. *Steinii*, schol. n. moderatoris, Annalium lib. Tom. II. pag. 14.

dum embryonis facies formaque turbatae erant, ut imprimis ex pressione quadam explicanda erant, quae in iis alienata.

Distorsiones enim embryonis partium, incurvationesque earum sibi invicem ipsique hypothesi de vi pressionis eiusmodi respondentes, quis inde derivare dubitaret? atque adeo quis medicorum est, quin in iis oeconomiae embryonis obtrectationem cognoscat, ita ut, etiamnum integerrimis velamentis ovi, facile pereat embryo partusque terminus acceleretur. Infra nobis redeundum est ad embryonis vitia eiusmodi.

Id saltem, quod spectat *abundantiam* liquoris amnii, non reticendum est, nimirum ex casibus quibusdam *Steinio* persuasum fuisse, non dari tantum saepius ominosam liquoris amnii copiam, verum etiam inde eo magis perverti partus terminum, quo imbecilior ipse foetus.

Quibus perlustratis satisfactum videtur liquoris amnii, quantum ex auctoris opere, perscrutationi, atque ergo progrediendum est vel ad *funem umbilicalem* inspiciendum, eiusque diversam conditionem perpendendam, vel ad *placentam*.

Ita quidem est, ut, licet *Burdachio* duce olim praeire iuberemus hanc illi, nempe placentam funi umbilicali, nunc potius consilii ducamus, eam partem alteri praeire, quam natura alteri praeexistire iussit; atque ergo nunc de

Fune umbilicali.

Iam *Burdachius* magnam huius partis gravitatem dignitatemque auguratus erat; modo post *Steinius* exemplis probavit hanc sententiam.

En! quot quantaque in *fune umbilicali* sint, quae conferre possint aliquid ad embryonis, nec non foetus, oeconomiam turbandam, vitam eius delendam partusque ergo terminum praevertendum! Haec sunt, atque quidem

primum insigne eius oedema;

porro contorsiones multifariae circa varias corporis embryonis partes atque quidem ita, ut, quantum videtur, ex evolutione ipsius funis et illa embryonis sibi invicem haud sat respondentibus sensim sensimque strictior redditus sit funis et impressiones in corpore embryonis effecerit.

Si quis forsan dubitaret, an embryo tales impressiones eum in modum aegre ferat, ut oeconomia laedatur, ipsique fatum graviditatique finem imminere, eum monemus, perpendere velit, ipsiusne funis functio facile turbari possit *tensione* vasorum inde orta?

Quae imprimis funis conditio eiusdemque functionis turbatio nec non, quae inde vario modo colligi possint, in medicinae finem, a nemine antea extricata sunt.

Post hoc alterum alterumque in fune conspicuum, obtineat in memorandorum serie locum

tertium coalitus funis cum embryonis corpore.

En, L. B., et hic quis est, ab hoc Nostro si discesseris, qui hunc funis statum exemplo unquam probaverit!

Qualiscunque autem huius singularis coalitus ratio sit et quantacunque difficultas explicandi vim eius abortum excitandi, tantum tameu abest, ut de gravitate eius dubitemus, ut potius animus nobis sit, eandem vario modo probare.

Est-ne enim ita, ut existimemus, hoc phaenomenon ubi videre licet iunctum coalitui plurimarum embryonis corporis partium, (atque quidem in ovulis liquore amnii haud privatis), non opus esse explicando embryonis obitu ex funis solius affectione? Ita sane est! Quis enim dubitaret, huic phaenomenorum generi, coalitu nimirum plurium partium atque quidem, quantum visum est, haud deficiente liquore amnii (qui nimirum liquor, ex physiologiae cultorum sententia, abluendo veluti corporis partes coalitum earum impediat), generaliorem et internam, atque ergo sat gravem, supponere causam?

At enim vero quem nobiscum communicat *Steinius* sen. casum, eum sane sat idoneum per-

spimus, ut inde adeo satisfiat cuilibet nostrûm, qui adamet explicare ex mechanicis quasi causis. Casum nimirum a *Steinio* narratum *) si accuratius perlustrare placet, haud deerit locus huic fini inserviens; ita nimirum ibidem describitur coalitus inter genu alterius cruris alteriusque calcaneum cum umbilicali funi, ut nobiscum *Steinio* augurandum sit, *pressionem* forsan inter utramque partem aegre tulisse umbicalem funem. Quod quidem funis obtrectationis genus hoc loco monitum habeas, ne, vel sicco pede praeteriisse videamur idem, vel *locum* praecipuum in hac serie ei tribuere debeamus.

Vindicandus est in hac vitiorum umbilicalis unis serie locus

quartus singulari cuidam eiusdem affectioni, quae omnino in functionem huius partis influere videtur. Haec est ista affectio: reperiebatur nimirum finis, imprimis in foetu 5 vel 6 mensium, qui, licet per maximam tractus sui partem nullo vitio laboraret, singula sui regione repente constrictus et cartilagineus atque eum in modum attenuatus erat, ut revera sanguinis circuitum haud permitteret. Simile quid in contortis invicem gemellorum funibus alius cuiusdam casus videre licebat.

*) V. observ. op. T. 1. cas. 120. pag. 260.

Quintus denique locus servetur obstructionibus funis vel potius venae illius. Quibus quidem obstructionibus ansam praebent varices funis. Quis est, quin noverit hoc phaenomenorum genus in fune, licet haud reperiatur aliquis, qui inde mali quid derivandum esse existimarit?! Quo magis sint expansae hae varices, eo magis omnino sanguini ipsas intranti commorandi ibidem coagulandique occasio data est. Qui vero sanguis coagulatus nonne sensim sensimque ipsam obstructionem constituere poterit — indeque ergo et circuitus impeditus foetusque obitus et ipsa graviditas turbata derivari poterit?

Quod spectat vesiculam in *embryonis* fune interdum conspicuam, sufficiant quae supra (pag. 21) monuimus.

Quibus in *funis umbilicalis*, qui praeire iubebatur *placentae* (v. supra pag. 26) examen collatis, ipsi

Placentae

perlustrandae nos accingamus.

Eheu! iam in placenta difficilius est iudicatu, quid fini nostro opitulari possit; difficil-

limum vero in foetu ipso. Quamquam enim concedere velimus, multa funi, liquori amnii nec non involucris ovi inesse, quae, licet gravissima in ovi oeconomia turbanda, oculos nostros fugiant, ita ut, quae e. g. immunes appareant ovi membranae a quocunque vitio, nihilominus multa recondant prava; contra in placenta, imprimis vero in foetu ipso, multa sane obvia sunt oculis nostris, quae, licet magni momenti esse videantur, nihilominus forsan haud influant in vitam foetus graviditatisque ergo decursum.

Inde absque dubio locupletissimus ille catalogus vitiorum *placentae*, quem apud *Burdachium* reperire, nec non omnino admirari, licet; quid, quid! inde ex parte aestimatio tot foetus formationis vitiorum apud eundem auctorem, quam ut refrenaremus, iam supersedere non poteramus addendis aliis aliisque monitis (v. supra p. 12).

Ita sane est, ut iam id circa *placentae* multum gravitatis detrahatur, quod partem veluti succedaneam ovi constituat i. e. quod demum formetur in ovo, cum primum graviditatis stadium, atque quidem stadium, quod abortum sensu strictiori offert, ad finem vergit. Praeter hoc quae accedant, unde placentae gravitatis quid in diiudicanda foetus mortis causa, indeque ipsa ea abortus, detrahatur,

ex ipsa, quam nunc adeamus, dilucidatione et aestimatione vitiorum placentae prodeant.

En! haec sunt, quae alter auctorum, is quidem, quem nunc imprimis pede presso sequimur, nobis in hunc finem offert; nimirum

primum: compages placentae tota quanta tenerior albidaque, veluti in aqua macerata, ita ut, altero alteroque modo morbosi quid eidem inesse, haud dubitandum sit. Profecto! eum in modum laxa est eiusmodi placentarum textura, ut vel minima ipsi illata vi secedant invicem et lobuli et singulorum lobulorum perticulae iisdemque pertextae appareant fibrae tendineae *).

Qui quidam placentae status et conditio occurrit alio alioque graviditatis mense, ita adeo, ut videretur, in ipso partu maturo reperiri

*) Monet scholae nostrae obst. moderator, ex ista placentae indole explicandam esse, quam saepius experimur eiusdem solutionem ab utero retardatam. Quae si ita se haberent atque ergo a sola placentulae retentione in utero conclusio valeret ad statum eiusmodi, eadem partis huius mora in utero, res nostra ut rite aestimetur, respicienda foret.

posse, Quae licet observatio nos monere posset, nolimus eiusmodi statum placentae abortus causam etc. habere, non possumus tamen, quin opponamus alterum alterumque rationum genus. Est-ne enim ita, ut existemus, pro vario eiusdem status gradu varium esse effectum? nec non hoc: statum hunc haud semper a placentae teneris, verum etiam serius interdum ortum, ita ergo ut, quem reperimus eiusmodi statum, haud semper a primis abhinc graviditatis mensibus exstitisse putaremus.

Quae argumenta cum admittenda videantur, atque ipsis adeo supervenerit observatio aliqua sat gravis, foetum nimirum, si in serioribus graviditatis mensibus occurrerat illud phaenomenon, plerumque vel *mortuum* vel exiguae admodum molis fuisse, nil est, quod prohibeat, quominus hunc *placentae* statum omnino magni habeamus.

Quem quidem placentae statum non relinquamus, quin momuerimus, dari, quantum ex illius Nostri observationibus videtur, eiusdem status varietatem quandam haud negligendam. Nisi nimirum interdum oblata est *placenta* non tenerrimae tantum illius atque flaccidae compagis, verum etiam simul *mole* valde aucta, ita imprimis, ut facile alterum vitium alteri supervenisse videatur.

Quae quidem *varietas* Ipsi haud occurrit, nisi mense graviditatis sexto expleto.

Post haec imprimis mentio facienda videtur *tuberculorum quorundam*, quibus vario modo obsita est placenta.

Quapropter occupent locum

alterum albida tubercula, quae, instar pinguedinis in corde vituli, insident superficiei placentae interiori, ita ergo ut chorio obtegantur.

Quae materies pinguedini similis vel cingit ambitum placentae, vel singulis potius lobulis inhaeret, atque formam servat glebarum adeoque altera alteraque eiusmodi glebarum in placentae superficie erumpit.

Quid, quod! quam placentae molem nimis grandem iunctam interdum commemoravimus nimiae huius organi teneritudini, eandem et hisce glebis adipi similibus iunctim incedere observare licet.

Quibus relatis si quis esset, qui existimaret, iam iudicium de gravitate huius vitiorum placentae speciei ferendum atque ergo, quae ipsi vis praevertendi partus termini insit, exhibendum esse, eum monemus, velit respicere, quae de nimia placentae teneritudine tractaverimus; profecto! eadem omnino ratio utriusque phae-

nomeni, ita ut huic ipsi *glebarum adiposarum* rei causaeque prae illa *teneritudinis* nimiae neque addi, neque detrahi quidquam possit. Ita ergo se res habet; nempe: quae *glebae* reperiuntur in placenta tenerrimi foetus, nec non quae comitantur foetum vel emaciatum vel emortuum, atque denique quae iunctae sunt placentae moli nimiae, eae sane sunt, quas respiciamus in causis graviditatis turbatae.

Tertius placentae vitiorum locus explendus est illis *protuberantiis* sanguini coagulato simillimis in eadem illa superficie placentae obviis, in qua illas glebas sebaceas interdum conspicere licet.

Atque de his protuberantiis cruentis non existimemus, nisi quae de vitiis, quae *primum*, quaeque *alterum* modo occupabant locum in hac vitiorum placentae serie.

Iam, licet multum absit, quin placentae catalogum, in modum illius apud *Burdachium*, locupletiorem exhibuerimus; iam, inquam, non superest, nisi quod sua tribuamus et

Embryoni, Foetuive,

ipsi.

Quod pensum cum amplectamur, facile perspicimus, aliam eiusdem solvendi rationem

fuisse apud *Burdachium*, aliam fore nobis. Atque quidem vario modo alia nobis sit huius pensi solvendi ratio; nimirum

primum: distinguatur inter vitia foetus, ita ut haud cuivis eorum tribuatur quidquam in causis partus termini accelerati;

deinde: genus quoddam vitiorum extricetur, quod, etiamnum gravissimum habendum sit in causis graviditatis turbatae, quinimo, etiamnum animum nostrum, ovuli oeconomiam omnemque embryonis et foetus vitam perscrutandam summo studio amplectentem, alliciat, ne ullibi quidem monitum, nedum accuratius depictum, reperimus.

Quam horum embryonis foetusque vitiorum rem causamque acturi confestim aggrediamur. Cui vero negotio nos accingentes iam moneamus; nimirum: Qui servandus est pertractandorum ordo primum tribuit locum iis vitiorum speciebus, quas, ex modo pronunciatis, memoratu dignissimas habemus.

Quibus ergo praemissis tribuatur locus omnium

primus ipsi omnis embryonis defectui, absentiae, in ovi cavo;

alter locus exiguo nimis *embryonis* nec non, in seriori graviditatis stadio, *foetus* corpori, ita ut, habita ratione molis partium aliarum ovi, atque ergo praesertim liquoris amnii copiae amniosque et chorii ambitus, facile concludere licet, embryonem vel incrementa capere aequo modo neglexisse, vel eundem iam diu mortuum fuisse.

Quae, si forsan, praepostera *embryonis* mors Tibi probetur imprimis liquoris amnii *opacitate* et mucositate (v. supra pag. 23).

Modo propius accedamus ad illa singularia in embryone foetuve phaenomena, ita ut tribuamus seriei nostrae locum

tertium partium coalitui inter se, qui ipsius fere observatoris verbis describendus. Obtulerat sese Ipsi ovum trimeste *). Liquor amnii *crocei* erat coloris. Placentae superficiei internae insidebat *tuberculum cruentum* (v. supra pag. 35). Embryonis corporis plures partes inter se coaluerant; accreta nimirum erat manus sinistra oculo sinistro; pes dexter genu sinistro firmis-

*) v. *Steinii* obs. opus T. I. cas. 120.

sime adhaerebat, atque pes sinister perinaeo nec non femuri dextro. Funis umbilicalis illi pedi genuque sese iunxerat simili modo adeoque ab utraque parte comprimi videbatur (v. supra pag. 29). Quid, quod! non tantum extremitates inter se et cum trunco coaluerant, verum etiam nares et aures omnimodo clausae erant.

Quartum locum occupet, quae alio alioque casu *) probatur, *rigiditas omnium artuum* nec non extremitatum flexarum quarundam seque invicem tangentium coalitus. Alter casuum ex quinto graviditatis mense, alter ex septimo mense prostabat. Uterque foetus emortuus erat. Tandem

quintus locus sit, qui offerat vim et effectum compressionis foetus. En! ita, deficiente liquore amnii, spatii penuria in foetum sex mensium vim exseruerat, ut incurva apparerent crura aliaeque partes, quae sibi invicem opposita fuerant **).

---

*) v. cas. 125 et 142.

**) v. Tom. I. pag. 279.

Attamen haud sicco pede praeteriisse videamur, dubium admodum fuisse, quidnam sit, quod foetus necis, atque ergo proprioris abortus causae, accusetur, utrum nimirum pressio foetus, an potius quae pressionis causae supponendae fuerint. En! haud tantum liquoris amnii defectus notandus est, atque, qui loco liquoris amnii habeatur (v. supra pag. 25), stillans per longius temporis spatium latex quidam limpidus e gravidae genitalibus, verum etiam placentae vitium quoddam (v. supra pag. 32), quid, quod! gravida in iis mulierculis erat, quae ad observationum *Steinii* opus pluries contulerant et graviditatem et ovulum memoratu dignum.

Quibus de vitiis embryonis foetusque, et in causis graviditatis turbatae et per se, singularibus pertractatis redeundum foret ad illud pensi primum, nimirum ad

distinguendam vitiorum foetus vim et gravitatem (v. supra pag. 36).

Est-ne ita, ut Tibi, L. B., in vitiis embryonis et foetus relatis videatur, vel subesse illis causam omnis oeconomiae turbatae generaliorem atque ergo internam, vel pendere, quidquid vitiosi apparebat, ex vitiis partium aliarum ovi?

Quae ipsa ex supra relatis meminisse iuvabit, ut iam pronuncies: Alia est ratio hydrocephali, acephali, gemellorum coalitorum, et quae sunt alia, quae *vegetationem* haud obtrectent. Quid quod! quae forsan accumulata aqua in abdominis cavo et quae alius indolis sunt intumescentiae abdominis, nec non alia eiusmodi, magis habeantur mortis effectus quam mortia causa. Alia aliqua ex parte ratio esse videtur morbi illius singularis *foetus*, *pemphigi* nimirum *neonatorum*. En! et eiusdem morbi exempla in *Steinii* observationibus.

Ceterum: quomagis non nisi *Burdachio* duce hoc communius foetus vitiorum genus respicere debebamus, eo magis iam in iis subsistendum nobis sit, quae modo memoravimus.

Restat applicemus in finem nostrum, quae *Steinii*, praeceptoris carissimi, praxis suppeditaverit.

Huc quae spectant, hic loci non commemorentur, nisi quae conferant aliquid ad casuum genera *Steinii* senioris supplere. Atque in his sunt

primum ovula trimestria, liquoris amnii copia eum in modum turgida, ut, nisi ruptis velamentis, elidi non possent, quibus nulla embryonis vestigia inerant;

deinde ovula eiusmodi nec non magna laticis illius copia, licet embryonis vestigia vix ulla;

porro foetus quinquimestres nec non septimestres, parvuli admodum exstinctique, in eximia liquoris amnii copia *)

demum foetus exstincti funisque umbilicalis morbi singularis speciem referens. En! funis vasa contorta, protuberantia veluti atque duriora cartilaginis instar; quod phaenomenon eo gravius, quo magis patet, non nisi flaccidum nec non plerumque tenuissimum (vel saltem tantum hydropice putrideve tumidum) reperiri foetus emortui funem.

Addita haec, licet admodum generaliori modo relata, in hunc finem sufficiant; adeoque multa, quae ex quibuscunque relatis extricari possent, corrollaria Aliorum scribendi pensum constituant.

---

*) vid. cl. *Steinii* Annal. libr. Tom. II. pag. 83.

VITA ET STUDIA.

Natus *Porceti* prope *Aquisgranum*, atque quidem d. XXI° M. Ianuarii a. MDCCLXXXXIX. Patrem veneror *Christianum Pesch*, Chirurgum, matremque *Agnesiam* ex gente *Vasseu*.

Parentibus optimis nil magis curae cordique fuit, quam quae mentem meam excolendam spectarent. Quare aetatis annum sextum vix agens ab iis scholae publicae *Porceti* mandatus eandem sedulo frequentavi.

Iuveni annum decimum quartum agenti, atque, quantum tunc temporis fieri poterat, literarum elementis, lingua latina, gallica, et quae alia, imbuto pro tempore haud licuit humaniorum studium prosequi. Per varios enim casus, per tot, ut ita dicam, discrimina rerum non Latium tendere, verum chirurgiae munia amplecti, iussus in Nosocomio *Aquisgrani* duce cl. *Born*, chirurgo dexterrimo, artem ediscere modoque proprio quodammodo Mar e exercere coepi. En! nonnisi primo anno elapso eum in modum satisfeci Magistro dexterrimo, ut me sibi ipsi muneris assistentem constitueret.

Franco-Gallorum exercitu anno 1814 fugato, Nosocomiisque aliis aliisque militaribus *Aquisgrani* exstructis, chirurgi munus in me suscipere iussus fini proposito inservire haud a me alienum duxi. Modo post bellum contra Galliam denuo cum persequeretur Potentissimi Borussorum Regis exercitus, Nosocomii cuiusdam castrensis chirurgis adscriptus ea, qua par est, solertia omnimodo patriae succurrere annisus sum Finito bello exercitum Borussorum secutus in numerum chirurgorum legionis equitum hastatorum, quae signum VII^num^ prae se ferebat, receptus sum.

Post aliquod temporis spatium fortuna favente iuvanteque celeberrimo *Goerke*, medico et chirurgo exercitus olim supremo, mihi contigit, *Berolini* commorari atque per sesqui annos institutionibus clarissimorum praeceptorum interesse. Ita ergo fieri poterat, ut praelectiones *anatomicas* cl. *Knape* nec non eas in physiologiam cl. cl. *Rudolphi*, *Koreff* et *Eck* frequentarem. Qua etiam occasione oblata duce cl. *Horn* pathologiae, nec non duce *Hufeland* iun. semiotices studio operam dedi. Quid, quod! ibidem mihi exstitere magistri praestantissimi in ediscenda chemia, pharmacia, materia medica, fasciarum chir. usu, arte obstetricia, ophthalmiatrice, ossium morborum doctrina atque akiurgia, nim. cl. cl. *Turte*, *Csaun*, *Kluge* atque *Graefe*. Sub finem huius studiorum cursus haud neglexi institutiones chirurgicas cel. *Rust*; idem vir praestantissimus mihi fuit dux et auctor in chirurgiae doctrina et inprimis in clinico chirurgico. Clauserunt studium illud cel. *Hufeland* sen., cl. *Knape* ac cl. *Neumann*, me docentes

therapiam, medicinam forensem ipsamque medicinae praxin.

Anno MDCCCXX ad finem suum vergente dignus iudicatus sum, qui ad *cursum* s. d. militarem accederem. Sub initium anni seq. cursum anatomicum, medicum et chirurgicum absolvi.

Quibus peractis ad legionem equestrem supra memoratam redii.

Quae quidem legio cum *Bonnae* stationem obtineret, iterum mihi contigit, medicinae ac chirurgiae studio incumbere ac praestantissimorum praeceptorum institutione frui. Haec sunt, quae in academico cursu quinquies iterato audivi et tractavi: nimirum encyclopaediam philosoph., logicam et psychologiam duce cl. *van Calker*, botanicen duce cl. *Nees ab Esenbeck*, historiam naturalem duce cl. *Goldfuss*, physicam experimentalem duce cl. a *Münchow*, chemiam exper. duce cl. *Bischoff*. Chirurgiam demum mihi tradidit cl. de *Walther*, artem obstetriciam cl. *Stein*. Cl. *Mayeri* frequentavi lectiones in anatomiam. Postremum cl. *Nasse* in diiudicandis etc. morbis psychicis facem praetulit. Eiusdem etiam clinicum medicum, nec non ea chirurgiae et artis obstetr. ducibus cl. cl. a *Walther* et *Stein* adii. Quae omnia mecum praeparaverant ad examen pro gradu doctoris, in ipsum a gratioso Medicorum ordine almae *Rhenanae* petii feliciterque subii.

D. Bonnae m. Decembri MDCCCXXIII.

THESES.

1. *Medicus, qui chirurgiae doctrina vacare posse putat, non medicus est.*
2. *Methodus quiescens in arte medica saepe omnium princeps.*
3. *Non dantur specifica, nisi specificum habere velis quodcunque medicamen.*
4. *Alia est arthritidis, alia rheumatismi, et aetiologia et pathologia et prognosis medelaque.*
5. *In uteri carcinomate non fieri potest exstirpatio, nisi totius uteri.*
6. *Triplex est genus causarum abortus.*
7. *Non nisi alterum alterumque abortus causarum genus respexere ad hunc usque diem medici in casu forensi.*

8. *Quidquid causarum abortus ovi vitiis inest in foro medico respiciendum ideoque studium illarum causarum amplificandum est*

9. *Dantur ovi partium singularum degenerationes, quae in abortus causis habendae sunt.*

10. *Quae acido pyrolignoso inesse dicitur vis resolvendi scirrhum uteri, nititur non nisi conclusione sat nota ac facile fallaci nimirum illa* «post hoc ergo propter hoc.»

11. *Non inest partui praematuro artis ope provocando vis proscribendi partum caesareum.*

12. *Bene distinguendum est inter operandi genus, quod Franco-gallis* accouchement forché, *et Nuperorum methodum, partus praematuri ope supersedendi partu caesareo.*